



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

Seth.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

An. 930.  
Adam mori-  
tur G. 5. v. 5.

Adamus modo coævus moritur. Quem par est credere præcipuos quosque filiorum ac nepotum, qui viderentur capita familiarum, ad se moribundum convocasse; ac compendioso exposuisse tam suam quam totius humani generis cladem, & promissam sibi suisque redemptionem & verum mundi Principem, Doctorem & Servatorem Messiam; in cuius unius venturi fide ac spe salvi esse possent. Illum ut Dei filium adorarent, ut summorum bonorum largitorem diligerent, ut Pacis Deum inter & homines conciliatorem de Sethi progenie nasciturum sperarent; Illius unius ope se ex Tartari faucibus ereptum iri crederent, Eum jam assiduis precibus & sacrificiis colerent; vitam ex timore Dei, qui sit futurus Judex vivorum atque mortuorum, traducerent; improborum consuetudinem & vitarent ipsi, & suos vitare edocerent; denique, quod sibi fieri nollent, alteri ne facerent. Et quoniam optatissimo illo innocentiae statu, quem ipse aliquandiu degustasset, frui ultra non possent, poenitentiam Patris sui imitarentur, ut post mortem, quoniam per peccatum mors intrasset in mundum, & statutum esset omnibus hominibus semel mori, & de universa vita divinum subire iudicium, feliciore etiam felicitate in caelis aliquando fruerentur. Quæ cum ille aliaque his similia dixisset, eisque magno cum animi sensu benedixisset, obiit plenus dierum. Illi vero corpus divina quondam manu formatum cum multo honore ac pompa funeris in Abelis sepulchro, quod dilecto filio sibi que construxerat, sepeliebant. Quando Eva decesserit, non est ita certum. Traditio Hebræorum est, decimo primum post Adamum anno è vita migrasse.

## Seth.

An. 987.  
Henoch  
transfertur.  
G. 5. v. 24.

Henoch cum inter homines vixisset annos 365. in Paradisum seu locum terræ amoenissimum translatus est; ubi vitam agit quasi beatam, corpore quidem ex se corruptibili ac mortali, divina tamen virtute incorrupto, & immuni à nostris ærumnis, in altissima Dei contemplatione tempus jucundissime transigendo. Qui credunt, Paradisum terrestrem, & in ea arborem vitæ etiamnum superesse post diluvium, dicunt Henochum & Eliam usque ejusdem arboris frui pro libitu, atque ita vitam continuè prorogare. Porro cur sit translatus, explicat Ecclesiasticus c.



## Seth.

9

44. v. 16. nempe quia placuit Deo præ omnibus scilicet aliis illius sæculi hominibus. Cur autem vivus, Idem indicat eodem loco: *Translatus est in Paradisum, ut det gentibus penitentiam*, scilicet ut in fine mundi, quando cum Elia orbi restituetur, traducat tam lingua quam exemplo suo populos tunc superstites ab adoratione Dæmonis & Antichristi ad verum Christum & Deum.

Seth Princeps filiorum Dei, cum vixisset annos 912 moritur. Qui quidem filios ac nepotes suos, dum viveret, in officio continuit, præcipue ne connubia cum Caini posteris jungerent; ipso autem nunc è vivis sublato non pauci sprete Parentum monitione formâ filiarum Cainitarum capti pulchriores & selectiores in uxores duxerunt. Ex qua conjunctione, cum jam alias Filii Dei sive Sethi robusti essent, & viribus, formâ & staturâ eximii, prognati sunt natura vim suam oranem exerente gigantes seu homines monstrôsâ staturâ, robore & vitiis insignes; qui deinde potissima causa fuerunt diluvii, in quo etiam Caini familia prorsus extincta est.

## Enos.

Natus est Noë à Patre Lamech futurus alter mundi Parens. Nomen ipsi imponens Pater: *iste, inquit, consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum vostrarum in terra, cui maledixit Dominus*. A Mose habet hæc elogia: *Noë invenit gratiam coram Domino: Noë vir justus atque perfectus: Noë cum Deo ambulavit*.

1140. Moritur Enos, cum vixisset annos nongentos & quinque

## Noë.

A 1235. Moritur Cainan, cum vixisset annos nongentos & decem.

A. 1290. Moritur Malaleel, cum vixisset annos octingentos nonaginta quinque.

A. 1422. Moritur Jared, cum vixisset annos nongentos sexaginta duos

Interea in immensum propagabatur genus humanum adeo ut celebri hujus temporis Theologo ac Scriptori Hispano videatur  
*Sacræ Veterum Temp. Histor.*

B

tur,

Seth moritur  
gigantes nascuntur. G. 5.  
v. 8. & G. 6.  
à v. 1.

An. 1056.  
Laus Noë G. 5.  
v. 29. G. 6.  
v. 8. 9. 10

G. 5. v. 11.

v. 14.

v. 18.

v. 21.